

lem actum. At futura determinatio voluntatis nostræ ad talem actum eliciendum contingens est; ergo ex sententia hujus auctoris præcise Deus illud futurum contingens ante absolutum decretum suæ voluntatis. Et reddit rationem, quia alias non posset concordari libertas voluntatis cum concursu divino. Præterea eidem sententiæ subscripsit Cumelius, et quod attinet ad ipsam scientiam, tanta asseveratione illam affirmat, ut in 1 part., quæst. 14, art. 13, disput. 8, in concl. 1, dixerit non esse tutum negare infallibilem et certam cognitionem contingentium conditionatorum in Deo. A qua sententia non recessit in Opusc., nam in dicta disput. 1 secundi tomi, addit *neque esse tutum, neque ullo pacto ferendum*, præsertim de his conditionatis quæ in Scriptura revelata sunt.

9. *Soto secundæ sententiæ favet.*— Ante hos etiam et ante nos omnes hanc sententiam tuetur Soto, libr. 3 Summular., c. 8, lect. 3, et illam ponit inter prima dialecticæ rudimenta, tanquam rem illo tempore communiter receptam, et extra controversiam existentem. Ita vero illam sententiam explicat, ut dicat in his conditionalibus esse veritatem cognoscibilem ab ipso DEO, non in vi illationis, sed solum ex eo quod de facto nunquam ponetur in re antecedens sine consequente. In quo plane supponit non cognosci in aliquo decreto vel priori influxu prædeterminante, nam tunc veritas illa esset tantum ex vi illationis, quod ipse negat. Nec refert quod de propositionibus promissivis sub conditione loquatur, quia in illis includitur hæc conditionalis, si ille impleset conditionem, iste impleret promissum, quæ est mere conditionalis contingens, quam ait Soto solum Deum nosse an sit vera vel falsa, quando conditio non est implenda, imo, quod magis est, etiam quando conditio impleri non potest, ut aperte dicit in solutione ad primum, in fine.

10. *Driedo, et alii hac scientia utuntur ad explicanda divina auxilia.*— Præterea magis theologice hæc scientia conditionata futurorum, ad explicanda divinæ gratiæ auxilia, nostris temporibus usi sunt: Driedo in Concordia, p. 1, cap. 4, ad 3, ubi, exponendo verba quædam Ambrosii exponentis illa verba: *Miserebor, cui miserebor*, hoc est: *Misericordiam dabo, quem præscivi conversurum*; et illa: *Hoc est dare cui est dandum, et non dare cui non est dandum, ut illum vocet quem sciat obedire; illum autem non vocet quem sciat non obedire*, addit ipse Driedo: *Voluit Ambrosius obe-*

*dientiam seu cordis conversionem prævisam a Deo, esse finem vocationis, perinde atque finis gratiæ seu vocationis est usus gratiæ.* Et addit: *Quia rationabile ac decens est Deum dare gratiam ei quem novit bene usurum gratia, idcirco dare illi, est dare cui est dandum.* In quibus verbis supponit præscire Deum an homo sit bene usurus vocatione, priusquam velit dare illam, quod non potest esse nisi per scientiam conditionatam. Et similiter tractans inferius sententiam Aug., dicit *consensum liberi arbitrii esse ex motione Patris celestis sic trahentis illum, qualiter aptum novit.* Quæ notitia conditionata etiam est, ut constat; nec ab illo auctore ponitur in prævio decreto Dei prædeterminante, nam illud sæpe negat, ut in libro quinto videbimus. Et ibidem paulo inferius ita exponit verba similia Chrysostomi, quem constat etiam apud adversarios illa decreta prædeterminantia ad extra liberum arbitrium non posuisse. Eodem modo hac sententia utitur Ruard., art. 7, ut latius in libro quinto videbimus, ne sæpius ejusdem auctoris verba repetamus. Et eadem ratione possunt pro hac sententia allegari omnes catholici doctores, qui putant omnem antecedentem necessitatem factam voluntati, repugnare libertati ejus, et nihilominus salvant gratuitam Dei electionem et prædestinationem, et gratiæ ac vocationis efficaciam; hæc enim sine hac prævia scientia conditionata subsistere non possunt, ut contra nos argumentando adversarii fatentur. Sic autem maxime potest allegari Waldens., in Doctrinal. fidei, cap. 23 et 28, ubi inter alia multa habet hæc notanda verba: *Certe ille qui facit concordiam in sublimibus, non faceret illam concordiam inter necessitatem, quam Augustinus appellat extrinsecam, et Anselmus præcedentem, et liberum arbitrium.* Eodem modo potest referri Roffens., art. 32, § *Nemo sane*, et sequentibus.

11. *Antiqui theologii qui pro hac sententia allegari possunt.*—Ex antiquis theologis, omisso pro nunc divo Thoma, cujus mentem in speciali capite investigabimus, allegari imprimis possunt omnes qui negant Deum cognoscere futura libera in efficaci proposito suæ voluntatis, ut sunt Marsil. in 1, quæst. 4; Ocham., dist. 38, quæst. 1; et ibi Gabr., q. 1, art. 2; et præsertim Greg., quæst. 2, art. 2, ubi, contra Scotum, dicit tolli libertatem, si futura contingentia cognoscuntur a Deo, ut determinate vera in suo decreto. Et addit, in omni signo quo cogitetur propositio de futuro ante decretum, esse determinate veram vel

falsam. Ex quo principio evidenter sequitur idem sensisse de illis futuris conditionatis, ut representatis in intellectu divino per scientiam simplicis intelligentiæ ante omne decretum liberum. In quo fundamentum contrariæ sententiæ evertit, ut constat. Illa autem sententia inter antiquos theologos valde communis est, ut infra lib. 5 ostendemus, referendo illos qui negant dari causis secundis auxilium prævium prædeterminans illas, et simultaneum non putant dari ex absoluta efficaci voluntate antecedente, sed vel ex concomitante, vel ex voluntate includente aliquam conditionem. Favent etiam huic opinioni qui dicunt aliquam præscientiam ad prædestinationem supponi, ut Ægidius, in 1, d. 40, quæst. 2, art. 2. Id enim non videtur posse intelligi nisi de hac præscientia conditionata; nam absoluta vel sequitur prædestinationem, vel est ipsa prædestinatio. Et hoc modo merito potest pro hac sententia allegari Joannes Arboreus, tom. 1 Theosoph., lib. 3, cap. 11, ubi, exponens vocationem quæ ab Augustino vocatur *secundum propositum*, dicit: *Hoc propositum ad præscientiam et prædestinationem Dei pertinet, nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum et secuturum esse vocationem.* Hæc enim præscientia, cum ponatur antecedere vocationem et propositum ejus, non potest esse nisi conditionata. Denique favent huic sententiæ qui dicunt effectum contingentem posse certo cognosci ab eo qui omnes causas comprehenderit, et omnia quæ possunt illas impedire vel non impedire: nam in hoc eadem est ratio de effectibus futuris in tempore, et de futuris possibiliter, ut est manifestum; tenet autem id Argent., in 1, d. 40, art. 3, ad 6, contra 1 concl., et alii, ut infra attingemus.

12. *Secunda sententia longe primam superat auctoritate.*—Hæc ergo sententia auctoritate theologorum, non solum recentiorum, sed etiam antiquorum scholasticorum, longe contrariam superat, dummodo contra illam non stet D. Thom., quod nunc supponimus, et infra ostendemus. Quapropter nullus potest illam novam vocare, nisi qui vel antiquos non legerit, aut de nominibus voluerit potius disputare quam de rebus. Fundamentum autem hujus sententiæ primario nititur in auctoritate Scripturæ et Patrum: quia vero auctores utriusque partis illos in suum favorem allegant, paulatim singula expendere necesse est, postea vero vim rationum expendemus. Quia vero auctores prioris sententiæ divisi sunt, nam, ut dixi, multi eorum simpliciter

negant talem scientiam certam, alii vero illam admittunt, limitant tamen illam ad modum habendi illam post decretum liberum, et in illo; ideo prius stabiliemus veritatem et certitudinem talis scientiæ, nihil enim supponere volumus, ne aliqua ex parte rem infectam relinquamus. Postea vero ostendemus modum illum talis præscientiæ in proposito, non solum esse alienum a Scriptura et Patribus, et sine fundamento excogitatum, sed etiam absolute impossibilem.

## CAPUT II.

DEUM HABERE CERTAM ET INFALLIBLEM SCIENTIAM FUTURORUM CONTINGENTIUM CONDITIONATORUM, EX SCRIPTURA, PROUT A PATRIBUS INTELLICTA EST, OSTENDITUR.

1. *Probatur ex sacra Scriptura.*—Nihil fere possum in hoc capite addere his quæ de eodem argumento in l. 2 de Scient. Dei dixi, nec tamen omnia repetam, sed duo vel tria testimonia selectiora, quamvis vulgaria, accuratius ponderabo. Primum est illud Matth. 11, et Luc. 10: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent.* In his enim verbis continetur quædam propositio de quodam futuro effectum sub conditione, qui nunquam de facto fuit, quia conditio illa impleta non est, et illa conditionalis propositio a Christo tanquam vera dicta est; fuit ergo certissima et infallibiliter vera: ergo Christus, qui illam protulit, habuit scientiam certam et infallibilem illius contingentis futuri sub conditione: ergo multo magis illam habet Deus. Et qua ratione unum cognoscit, cognoscit omnia similia, quia eadem est de omnibus ratio.

2. *Prima responsio.*—Duæ sunt evasiones. Prima est, illum Christi sermonem non esse intelligendum tanquam propheticum et ex certa scientia profectum, sed altero e duobus modis. Primo, ut non sit propria locutio assertiva, sed tantum figurata ad exaggerandum delictum Judæorum, juxta quemdam vulgarem modum loquendi, quo solent homines exaggerare factum aliquod per comparisonem ad aliud minus proportionatum; ut ad exaggerandam ingratitude amicum, dicere solemus: Si extraneo vel inimico id fecissem, magis gratus fuisset; et ad reprehendendum fidelis delictum: Paganus hoc

non fecisset, sicut dixit Paul. 1 Corint. 5: *Invenitur inter vos fornicatio, talisque fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ita ergo dici potest in præsenti. Quia non est novum in Scriptura accommodare interdum sermonem ad vulgarem modum loquendi hominum, ut late Riber., Amos 2, n. 19; Cantapretensis, lib. 9 Hypothypos., regul. 2. Et hic locus videtur aptissimus, cum Evangelista dicat ita fuisse locutum ad exprobandum Judæis. Et hanc expositionem inter alias ponit Jansenius in Concord., cap. 47; non approbat tamen illam, nec in ea figit pedem, sed ut tolerabilem permittit. Neque negat quin possint illa verba secundum veram et propriam præscientiam intelligi; imo refert illam ut expositionem Augustini, eamque laudat et defendit. Calvinus autem negavit constanter Christum locutum fuisse ex præscientia, sed *ad communem humanæ mentis captum* (ait) sermonem suum accommodavit.

3. *Secundo responsio.*—Alius modus exponendi est, ut, licet Christus, asserendo et affirmando id dixerit, non tamen ut certum et infallibile, sed quantum ex dispositione talium hominum conjectari poterat. Quam expositionem indicavit etiam Calvin. relatus a Stapletonio ibi, dicens: *Non disputat Christus quid præscierit Deus, sed quid facturi fuerint alteri, quatenus ex re ipsa percipi poterat.* Unde Hilar. ibi, canon. 11, quasi per paraphrasim dicens: *Forte illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset.* Nam dicens *forte*, indicat non fuisse prophetiam infallibilem revelationem ex præscientia. Quæ particula paulo post additur ab ipso Evangelista Matthæo in simili exprobratione, comparatione Sodomorum facta, et in græco eadem particula reperitur. Adduntque aliqui Christum non dixisse omnes Tyrios et Sidonios fuisse poenitentiam acturos, sed absolute civitates illas, totum a parte nominans, quia plures essent credituri. Quod cum confuse tantum, et non de certis personis dixerit, certum esse poterat in causa et in dispositione illorum populorum, quia non erant male affecti erga Christum. Denique hæc expositio sufficit ad exprobrationem, quam Christus intendebat; hoc enim solo titulo eos exprobrare voluit, quod essent magis indispositi ad credendum quam essent Tyrii; et ideo dixit Tyrios et Sidonios levius esse puniendos quam Judæos, non certe quia credituri essent, quia propter futura, sub conditione tantum, nec augetur nec minuitur poena: ergo id dixit

Christus, quia tunc Tyrii non erant tam male affecti; ergo in hoc tantum ponit vim exprobrationis, non in eo quod infallibiliter crederent. Et hæc expositio placet maxime pluribus ex modernis defensoribus primæ opinionis, secundo modo explicatæ. Et eam constanter defendit contra Stapletonium Curiel, ubi supra, n. 62 et sequentibus.

4. *Nulla necessitas ita explicandi.*—Hæc autem expositiones essent quidem tolerabiles si essent necessariae, et si essent consentaneæ, vel non contrariæ traditioni Patrum; neutrum autem in eis invenio, et ideo verba Christi simpliciter ut assertiva, et ut infallibiliter vera, et ut ex præscientia prophetica, accipienda iudico. Nam imprimis quod nulla sit necessitas confugiendi ad figuratas locutiones, id est quod agimus, et in discursu probabitur, et id supponunt Patres locum interpretantes. Inter quos Augustinus, de Bono perseverant., c. 9, ubi arguens Semipelagianos dicentes, homines judicari secundum opera præscita sub conditione tantum et nunquam futura, sic infert: *Nec damnarentur Tyrus et Sidon, quamvis remissius quam illæ civitates in quibus non credentibus a Domino Christo mirabilia sunt facta: quoniam si apud illas facta essent, in cinere et cilicio poenitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis, in quibus verbis Dominus Jesus altius nobis mysterium prædestinationis ostendit.* In quibus verbis evidenter docet Augustinus, primo, illa verba Christi non fuisse vulgarem exaggerationem propter reprehensionem, sed fuisse *eloquia veritatis*, quæ non sunt nisi propria, et assertiva rerum verarum. Secundo, docet illa verba esse adeo certa et infallibilia, ut, si per poenitentiam sic præscitam absolvendi essent peccatores Tyrii et Sidonii, procul dubio nec remissive punirentur: iudicium autem Dei non fit per conjecturas vel humanas præsumptiones, sed per certam et infallibilem scientiam; supponit ergo Augustinus talem fuisse illam scientiam, quam Christus habebat de tali poenitentia. Tertio, inde colligit Augustinus prædestinationis mysterium, quod etiam non satis colligeretur, nisi præscientia illa esset certa, unde subjungit: *Si enim quæretur a nobis cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes illa non fuissent credituri, et apud eos facta non sint, qui crederent si viderent, quid respondebimus?* Ubi etiam pondero tam verum et certum fuisse Augustino Tyrios et Sidonios credituros fuisse, si talia vidissent, quam fuit certum Judæos au-

dientes non credidisse. Denique postea expressioribus verbis id Augustinus testatur, illa tamen in caput sequens reservo, quia prior est locus.

5. Hinc idem Augustinus, in Enchirid., cap. 95: *Tunc*, id est, in die iudicii (ait) *non latebit cur apud quosdam non factæ sunt virtutes quæ si factæ fuissent, egissent illi homines poenitentiam; et factæ sunt apud alios, qui non fuerant credituri. Apertissime namque Dominus dicit: Væ tibi, Corozain etc.*, ubi verbum *apertissime* attentissime considerandum est, explicat enim quanta certitudine id crediderit Augustinus. Nec aliter videtur sensisse Ambrosius, nam eadem verba exponens in Luc. 10, ait: *Docet graviore poenæ obnoxios fore, qui Evangelium non sequendum, quam qui legem judicaverint solvendam; eo quod Tyrus et Sidon, si tanta virtutum caelestium vidissent miracula, non desperissent remedium poenitentiae.* Ubi considero Ambrosium, absque ulla hæsitacione vel formidine, verbis Christi in-nixum, dixisse quod Tyrii et Sidonii non desperissent poenitentiam, si illis æque ac Judæis prædicata fuisset. Additque ideo Judæos gravius fuisse puniendos quam Tyrios et Sidonios, quia gravius peccabant non credendo, quam isti naturalem legem violando. Quam rationem habent etiam Hieronymus, Chrysostomus, et alii; omnes tamen indicant præcivisse Christum futuram poenitentiam Tyriorum. Maxime vero id declarat Anselmus, juxta doctrinam Augustini, et ideo dicit, quamvis illos prævidebat Deus habiles ad conversionem, non fuisse injustitiam illis talem vocationem negare, quia alias erant peccatores et gentiles, quibus statuerat non prædicari Evangelium donec Judæis esset oblatum et ab eis repudiatum, et addit: *Sed quare Deus negat gratiam (utique abundantiore) libenter suscepturis et gratiæ consensuris, non est nostrum scire; supponens profecto Tyrios et Sidonios tales fuisse.* Eodem fere modo loquitur D. Thom. ibi allegans Augustinum, in dicto lib. de Prædest. sanctorum, ejusque doctrinam sequens. Item de certa et infallibili præscientia exponit illum locum Remigius, quem sequitur ibidem Abulensis, q. 48; et in 51 dicit: *Christus testatur hic quod, si Tyrii et Sidonii fuisset Evangelium prædicatum poenitentiam egissent.* Et in 52, explicans particulam *forte*, positam in posterioribus verbis de comparatione Sodomorum, dicit, cum Remigio, positam esse ut indicaretur quod, licet Deus certo id præscierit, et non

sub dubio, non imponit hominibus necessitatem.

6. *Probatur secunda opinio.*—His addere possumus similem locum apud Ezech., c. 3: *Non ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris.* Et infra: *Et si ad illos mittereris, audirent te.* Ubi Hieronymus et Theodoretus illa verba interpretantur esse prophetice dicta, ex vera et infallibili præscientia Dei. Neque est cur in eis fingamus exaggerationem, aut figuratum et vulgarem loquendi modum. Denique ad utrumque locum potest accommodari regula Augustini de interpretatione Scripturæ, ut proprietates verborum et rigorosa veritas servetur, ubi vel auctoritas vel necessitas non cogit aliter interpretari. Hæc enim regula non solum intelligenda est de singularum dictionum proprietate, sed multo magis de totius sententiæ proprio et non figurato sensu litterali. Quod maxime locum habet ubi proprius et rigorosus sensus magis deservit intentioni loquentis, quam figuratus, ut in præsentem considerare licet in verbis Christi; nam licet, juxta alios sensus improprios aliquis exprobratio possit subsistere, multo est major et efficacior, si intelligamus Christum ex propria præscientia loqui, quia sic comparatio est ad confundendos et convincendos Judæos aptior. Denique hoc modo magis ostenditur in illis verbis divina Christi sapientia et potentia virtutis ejus magnumque mysterium gratiæ et prædestinationis ejus. Non est ergo in hoc testimonio a verborum proprietate et communi Patrum auctoritate recedendum, ut etiam moderni interpretes graviore communitate senserunt, Cajetanus, Maldonat., Toletus et alii.

7. *Hilarius et particula forte secundum Augustinum intelligenda.*—Neque aliud sensit Hilarius, sed particulam *forte* posuit, quia Matthæus illam posuerat; unde credendum est in eodem sensu illam posuisse; Matthæus autem non posuit illam propter dubitationem aut incertitudinem cognitionis. Primo quidem quia probabile est particulam græcam illi correspondentem *ἀν*, magis esse expletivam et confirmativam sermonis, quam dubitationis, ut late comprobatur ex Scriptura Salmeron., in Proleg. 16. Et quamvis possit etiam esse potentialis, et ideo ab interprete vulgato in illo loco per particulam *forte* translata fuerit, nihilominus servanda est regula Augustini, tract. 37 in Joan: *Forsitan, dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente; cum vero dicitur a Deo*

verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. Et idem notat idem August. in Psal. 2, circa fin.; et Chrysost., hom. 78 in Matth.; et Hieronymus, et Theodoretus in dictum locum Ezechiel. 3, et Jerem. 26; et Gregor., hom. 9 in Ezechiel., ubi ait vocem illam dubitationis, usurpatam in eloquio divino, aliquod aliud mysterium significare, scilicet, vel libertatem arbitrii, vel quod præscientia Dei non imponat humanæ voluntati necessitatem, vel quod in paucis contingere debeat id quod prædicatur, vel quia non vult Deus homines in desperationem vel nimiam securitatem inducere, quæ omnia in præsentem optime possunt accommodari. Quomodocumque ergo illa particula ab Evangelista posita sit, nullo modo significat dubitationem, aut conjecturalem sermonem. Neque etiam existimandum est, eo quod Dominus simpliciter de Tyro et Sidone locutus sit, non designando certas personas, eas non cognovisse, sed in confusa tantum cognitione perstitisse: talis enim cognitio non caret imperfectione propter confusionem, nec potest esse omnino certa, cum in morali tantum conjectura fundetur: aut non tam erit cognitio effectus, quam dispositionis causæ. Quæ omnia repugnant vel perfectioni Christi, vel proprietati verborum ejus; nam de ipso effectu, et satis in particulari loquitur, cum et modum et tempus, seu accelerationem poenitentiae indicet, dicens: *Olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Non potest ergo de certitudine illius prophetiæ dubitari, nec quod fuerit a propria et prophetica scientia profecta. De modo autem, quod pertinet ad aliam illorum verborum interpretationem, postea dicemus.

8. *Aliud principale testimonium.*—Scientia conditionata allocutus Dominus David 1 Reg. 23.—Secundum et potissimum fundamentum hujus veritatis sumitur ex responsione Dei, 1 Reg. 23. Cum enim David, fugiens Saulem, se in Ceilam recepisset, et Saul obsidere urbem et illum comprehendere deliberaret, consuluit David Dominum dicens: *Si tradent me viri Ceilæ in manus, et si descendet Saul, sicut audivit serous tuus, Domine Deus Israel, indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manu Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* Postea vero, fugiente David, nec Saul obsedit civitatem, nec Ceilitæ tradiderunt David. Fuit ergo illa revelatio pure conditionalis, duasque contingentes proposi-

tiones conditionales continuit. Una fuit: *Si David perseveraverit intra Ceilam, Saul descendet ad obsidendam civitatem.* Altera est: *Si Saul descenderit et obsederit civitatem, viri Ceilæ tradent David.* Optime ergo sciebat Deus veritatem illarum propositionum, alias non fuisset infallibile ipsius responsum.

9. *Prima responsio.*—Hunc locum, quamvis expressus satis videatur, duobus modis effugiunt auctores contrariæ sententiæ. Prior est, ut illis verbis nihil de futuro eventu reveletur, sed tantum de præsentem voluntate Saulis et Ceilitarum. Supponit enim hæc expositio David non interrogasse Deum de futuro eventu, sed de voluntate et deliberatione quam jam tunc habebant Saul et viri Ceilæ. Nam, ut ille fugeret, satis illi erat, certo scire quid machinabatur Saul, et quid cogitabant et secum jam statuebant cives circa traditionem ejus; quia vero neutrum sciebat, sed de adventu Saulis solum per famam audierat insidias ejus, ut ipse dixit consulendo Deum, et de consiliis secretis principum Ceilæ nihil nosse poterat, voluit de his per divinam revelationem certior reddi. Unde, cum Dominus respondit: *Descendet, tradent,* sensus est: Hoc molitur Saul, et hoc cogitant viri Ceilæ. Nec expositio caret auctore, nam paraphrasis chaldaica ita exponit interrogationes David: *Num cogitans descendere? num cogitantes tradere?* Et in responsione Dei addunt: *cogitat descendere, cogitant tradere.* Et Glossa Interlinear., ad verbum *tradent,* hanc habet Glossam: *In voluntate habent, ut tradent;* et Matthias Thoringis, replicator Lyræ, ibi annot. 1, etiam dicit Deum solum revelasse quæ Saul et Ceilitæ habebant in corde, quia putat illam conditionalem non esse veram.

10. *Responsio posita non est admittenda.*—Nihilominus censeo hanc expositionem probandam non esse, multam enim vim infert Scripturæ verbis. Si autem licet verba Scripturæ, propter privatas opiniones, additionibus et impropriatibus verborum corrumpere, nihil certum erit in ejus revelationibus et assertionibus; cum enim Scriptura expresse dicat interrogasse David: *Si descendet? Si tradent?* et Deum simpliciter et pleno ore respondisse: *Descendet, tradent,* quæ omnia sunt verba futuri eventus, quis audeat dicere Deum nihil de futuro eventu, sed solum de præsentem cogitatione aut deliberatione certiore fecisse David? Unde contra verba tam expressa nullius ponderis sunt Paraphrasis Chaldaica, vel Glossa interlin. Quod si addendo et impro-

priando aliquid interpretandum est, exponatur potius hoc modo illi auctores quam Scriptura. Cum enim significant revelasse Deum præsentem cogitationem et voluntatem, pie exponi debent, quod et voluntas præsens et perseverantia in illa usque ad effectum, si David non fugeret, fuerit revelata. Alioquin eorum expositio admittenda non est, quia multum repugnat veritati et proprio sermoni Scripturæ: quod generaliter reprehensibile est, quoties sine causa vel urgente auctoritate fit, ut sæpe diximus; maxime vero in historica narratione, quæ solet esse simplex et omnino propria.

11. *Litteralis ac propria expositio.*—Accedit quod ita intellexit verba illa Hieronymus, lib. Quæstion. in 1 Reg., ubi verbum Dei *descendet* exponit: *Ac si diceret: Si hic steteris, descendet.* Et in verbo *tradent,* ait: *Iste est sensus: Si descenderit Saul, et hic te inveniet, tradent.* Ex quibus Hieronymi verbis sumitur optimum argumentum; nam interrogatio David non solum de præsentem tempore, sed maxime de futuro, et addita vel subintellecta conditione, vel una, ut in prima interrogatione, scilicet: *Si hic permansero, veniet Saul?* vel duplici in altera interrogatione, videlicet: *Si hic perseveravero, et Saul venerit, tradent me?* At vero interrogatio de sola præsentem cogitatione aut voluntate non recipit conditionem, ut per se constat: ergo non fuit illa interrogatio David, et consequenter neque Deus in illo sensu respondit. Ejusdem sententiæ fuit Theodoret., lib. Quæstion. in 1 Reg., n. 54, ubi de David ait: *Divina Scriptura ostendit ejus pietatem, semper enim Deum sciscitans, et aciem instruebat, et quiescebat.* Et addit: *Cum itaque rescivisset Saulem accedere, etc., sciscitatus est num eum essent tradituri; et cum ex eo didicisset eos esse dedituros, migravit in alium locum.* Expressius Lyra Dei verbum *descendet* ita exponit: *Si manseris in civitate, descendet;* et verbum *tradent* ita: *Si manseris in civitate, et Saul illuc venerit, tradent.* Itaque conditionalis est vera, quamvis neutrum evenierit. Quam sententiam defendit ibi Burgensis, quia illa conditionalis vera est et necessaria, ut subest scientiæ Dei, esto secundum se ex vi solius illationis non sit necessaria. Et idem tanquam certum supponit ibi Abulens., quæst. 13.

12. *Secunda responsio Scripturæ inepta.*—Alter modus fugiendi vim hujus loci est, David quidem interrogasse de futuris eventibus, et Deum de eisdem respondisse, non tamen ex

certa scientia, sed ex conjectura, non quod vel scientia Dei in se formaliter spectata sit tantum probabilis, nec dictum ejus in eo sensu accipiendum sit in quo sit fallibile, sed quod Deus evidentissime cognoscat præsentem dispositionem talium voluntatum, ratione cujus sunt magis propensæ in hunc effectum, et, quantum est ex vi illarum, verisimilius est illum effecturas quam alium, ita ut illud *verisimilius* ex parte objecti accipiatur, non ex parte scientis; et in simili sensu verba revelationis accipiantur, scilicet, *tradent,* subintelligendo, quantum ex proposito et dispositione talium voluntatum conjectari potest. Et suadent hanc expositionem aliis Scripturæ exemplis, in quibus Deus absolute loquitur, et tamen revelatio non est absoluta, sed subintellecta conditione, ut in Ninivitis Jonæ 4, et in Ezechia, cum illi Isaias, cap. 38, dixit: *Morieris.* Et idem in comminatoriis prophetiis invenitur, ut observat D. Thomas 2. 2, q. 171, art. 6, ad 2, et 1 part., quæst. 19.

13. *In quo conveniat secunda responsio cum prima; in quo differat.*—Hæc vero expositio partim convenit cum præcedenti, partim addit aliquid minus probabile. Convenit enim quatenus ait Deum certo non revelasse David, nisi præsentem actum vel dispositionem personarum; addit autem etiam revelasse tales homines in ea voluntate permansuros fuisse usque ad effectum, hoc tamen non absoluta assertionem, sed subintellecta limitatione, quantum ex dispositione causarum judicari poterat. Nos autem imprimis dicimus Deum nihil de præsentem dispositione illorum hominum habitatorum Ceilæ revelasse; præcise enim dixit: *Tradent;* et fieri poterat ut tunc non haberent tale propositum, nec aliam affectionem ad illum effectum vehementer inclinantem, et nihilominus postea ex sua libertate id facerent. Ergo, sine fundamento in revelatione vel in verbis Scripturæ, cogitatur quidquid de illo affectu dicitur. Deinde dicimus alienum valde esse a divina perfectione conjectura uti, et ex illa sola absolutum proferre sermonem; non enim *opinatur divinitas*, ut Augustinus dixit. Nec refert dicere illud non esse judicium opinativum, sed certum de probabilitate effectus eventuri ex talibus causis; nam, quod attinet ad imperfectionem cognitionis de tali effectu futuro, in idem redit, vel recurrendum est ad aliam responsionem, quod illa non est cognitio effectus ut futuri, sed tantum ut possibilis ex tali causa cum majori propensione, quod jam rejectum est, quia est contra veritatem